


Philipp Hartmann Hans Friedrich Lehsten von

Disputatio Politica De Principis Virtutibus & cura circa Exteros. s. Foeribus

Rostochi[i]: Meder, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729596834>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1638.

Philipp Hartmann

Hans Friedr. v. Liesten



6
IN NOMINE JESU
DISPUTATIO POLITICA
DE

PRINCIPIS

Virtutibus & cura circa

Exteros. s.
FOEDERIBUS.

Quam

D. T. O. M.

feliciter annuente

Ex concessu Venerandi Philosophorum in inclyta
ad Varnum Academia collegij:


Sub Præsidio

M. PHILIPPI HARTMANNI
Lubena Lusati. SS. Th. St.

*Publico Doctorum examini
subjiciet*

Hans Friederich von Leisten
Nobil. Megap.

*In Auditorio Majori die 28. Julij,
Horis antemeridianis.*



ROSTOCHI,
LITERIS MICHAELIS MEDERI,

Anno cl. lxx. xxxviii,



ILLUSTRI ET GENEROSO
VIRO

DN. WILHELMO

à Ralchum dicto Lohausen:

Supremo vigiliarum præfecto.

ILLUSTRISS: ac REVERENDISS:

Principis ac Dni:

DN. ADOLPHI FRIDERICI

Ducis Megapolitani Principis vetustæ gentis

Henetæ, Comitis & Episcopatus Swerinenfis Admi-

nistratori, Dynastæ Rostochij & Stargardiæ Consiliario in-

timo, rerum bellicarum Directori, & militis Ro-

stochiensium Moderatori, Mecænati

suo magno.

VT ET

Reverendo, Generoso Maximeq; Strenuo

Viro

Dn. GEORGIO à Winterfelt Equiti ordinis Di-

vi Johannis; Dynastiæ Neomarchiensis Satrapæ, Com-

mendatori in Schievelbein Hereditario in Dalmin Freyen-

stein & Newhausen Mecænati & agnato suo

honoratissimo:

Nec non

Amplissimo Excellentissimo Consulissimoq; Viro


Dn. ARNOLDO Bölddefern J. U. D. Republicæ

Vismariensis Consuli gravissimo, amico &

Fautori suo honorando:

Hæc studiorum suarum Academicorum pri-
mitias offert, consecrat

Hans Friederich von Leisten.



EXORDIUM.

DEUS est à quo Salus Regnorum omnium & incrementum & Occasus & Initia dependent, illa prout vult Principes constituit, Magnum autē Dei Donum est Bonus Princeps, pro cuius salute orare nobis cōvenit, cum enim is floret, & nostra florere certum est. Tu ergo DEUS, per quem Reges Regnant, dirige Regum & Principum vias & Corda, ut tibi puro corde inserviant, mandata tua fideliter custodiant, ut unus quisq; sub vite sua vitam tranquillam & beatam cunctis diebus agere possit,

Thesis I.

Princeps si rectè gubernare vult Rempubl. Virtutibus sit conspicuus.

Cause varie afferri possunt, quare Princeps sit Virtutibus conspicuus, nobis hæ sunt, I. Deus de Principibus graviolem rationem postulabit videatur Richter. Axioma Polit. 125. & rectè Philippus Comineus libr. 6. de Rebus gest. Lud. 11. Gall. Reg. & Caroli Burgund. ducis pag. 213. Non maleficium ullum Deus inultum sinit, etiamsi diuturnior emi impunitatem aliquando concedat. Nam quoties in magnis Principibus, aliquam insigne rerum videmus commutationem: certò statuere debemus illam à DEO proficisci 2. Summa Imperij Felicitas, Illorum dicta ac facta presenti Numinis auxilio illustrantur, Exemplum tale refert Jacobus Augustus Thuanus de Carolo V. Imperat Lib. 21. his verbis. In eo Principe cum Virtute certavit Fortuna ut illius meritis supremum felicitatis fastigium imponeret, neq; verò ullum

A 2

perfecti

perfecti, magis & ad omnem virtutem expressi Principis nostra & retro seculorum memoria reperiri posse arbitror quod iis qui ad Imperium virtutis via grassantur ad imitandum proponi queat pag. 402. huic astipulatur Comineus lib. 1. pag. 18. ubi inquit: Ob diuturnitatem Pacis & Principis Philippi bonitatem, florentissima erant omnes Burgundicae Provinciae, cum latae omnis generis opibus, ita quidem, ut cuiusvis Populo praeferrri possent, & item alibi lib. 7. pag. 248. inquit Comin. Burgundicus Populus longe florentissimus fuit, sub tribus ordine Principibus optimis & prudentissimis supra 120 Annos. 3. Subditi emulantur virtutem Principis & mores ejus imitantur, praeterea plus ad obsequium & virtutem instigat subditos virtus Principis quam poena videatur Bodinus lib. 4. 4. Plura Regna volupratis & vitii, qua Armis sunt deleta, E. vereatur Princeps ne se dedat vitii, Sciat ex summo non nisi per praecipitia descensum esse, majori periculo deponi Regna quam queri. Exemplo Eduardi Angliae Regis apud Comineum lib. 10. pag. 338. & Lanceloti Hungariae Regis Comin. lib. 10. pag. 339. 5. Famae suae debet consulere etiam post mortem; recte Keckermannus lib. 1. cap. 2. pag. 60. Cogita quisquis es Princeps quam stylo eleganti egregia facinora, quam acerrimo scelera tua sint depicturi, considera & levissima quaeque Principum peccata, gravissima videri, eaque omnium celerrime in vulgus emanare.

Nos breviter acturi sumus quomodo Princeps recte se gerat. Erga Deum. ἐνώπιον Θεοῦ, erga seipsum σὺ φέρων, erga alios δυνάτως.

II. Cum princeps a solo Deo dependeat, religionis & pietatis summum requiritur in eo studium.

S. 1. In hoc Paragrapho simul causa additur, nam a solo Deo dependent, hinc & a Dei gratia se constitutos profitentur.

S. 2. Altera esse potest mutatio Reipub. ira enim Dei provocatur, subditi in factiones scinduntur: videmus & in Ethnicis

Larvam

Larvam quandam Religionis, v. d Romulo Livii: Histor. l. x. c. 12 eod. loc. cap. 18. de Numa; sed hæc valeant, unicum proponimus exemplum Davidis, cujus summum religionis studiũ videatur in Psalmis in primis 119. qui explicat locum de Scriptura Sacra, quod Præcepta Dei sunt præcepta Universitatis, quæ obligent omnes homines.

S.3. *Requiritur E. à Principe assidua verbi divini Lectio & meditatio, ut Scripturam Sacram ex fontibus intelligat. (videatur Keckermannus lib. i. pag. 76.) habet princeps mandatum Divinum Deuter. 17. Lex Domini sit cum Principe, & legat illam omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timorem Domini Dei sui ad custodiendum omnia verba Legis & Scritura, ut faciat jura illa: Hæc si Principes attenderent, summã haberent felicitatem, prudentiores essent (ut David loquitur) hostibus: Exemplum habemus in nostris Principibus Clementissimis Megapolitanis; in primis in Johanne Theologo sic dicto, quod in Sorbona Doctoris titulum meruerit.*

S.4. *Contrariantur autem huic Hypocrisis, cum viri boni sit potius esse quam videri bonum.*

S.5. *2. Superstitio, Maxima autem superstitio est, quando Principes existimant subditos esse vi cogendos ad verbum Divinum, cum tamen argumentis vincendi sint. Duo cogitent Principes, quod, quando subditos cogunt ad Religionem, hypocritas faciant, Deus autem requirit cultum spontaneum; Deinde quod ansam præbeant ut fidem fallant Magistratui, si enim Deo fidem fallere coguntur, meritò de ipsorum fide dubitandum.*

III. *Eum, qui latè dominari velit, oportet excellenti quodam & singulari præditum esse ingenio: idq; totum dependet à beneficio Dei: Com. l. 4. p. 129.*

Deus enim non condidit Regna ut gubernarentur ab hominibus ineptis & stolidis, qui usum Literarum non habent Comin.

Lib. 3. pag. 87. E. sit doctrina clarus p. 143. [de Doctrina Principis videantur reliqui Politici. Cominaeus citatus maxime commendat Historiarum studium, quod maximum momentum adferat in Principe. de Carol. v. Comin. l. 4. p. 128. plures rationes videantur apud Keckermann. 1. l. qui imprimis commendat Logices studium & dicit, Qui Logicus est, una hora plus perficere potest, quam toto mense is qui Logices expertus est. Comin. lib. 3. p. 86. 87.]

IV. Prudentia docet Principem bona à malis distingvere & ad diversas circumstantias diversi modè consilia sua accommodare.

[Rectè Nicephorus Gregoras Rom. Hist. l. 5. p. 105. Prudentia armis potentior est, & ingenij solertia milite numerofo: quomodo bona à malis distingvere debeat sequentibus requisitis explanabitur.

V. 1. Requisitum est, se & suos cognoscere.

Debet enim perspectos habere subditorum mores.

VI. 2. Prudentiæ est suis bonis benè uti, & magis metuere quam exultare; notus est versiculus Horatij.

Sperat infestis metuit secundis pectus bene præparatum, tritum est commune adagium: πολιτικῶς καὶ μετρίως ἐνεργεῖν εὐτυχίαν καλεπώπειν ἢ δυστυχίαν, difficilius est res secundas quam adversas civiliter & moderatè ferre.

Exemplum Habemus in Phil. Maced. Rege, Greg. l. 4. cum tres uno die obtinisset successus, non insolenter gloriabatur, sed cum in usitatæ prosperitatibus graviores calamitates solere comites esse intelligeret, eventus illos moderatius tulit, magisq; de futuris sollicitus quam præsentibus lætus: cum assurrexisset: ὁ Διὶ ἰμμορταλῶν (inquit) mediocri bonis hisce malum admiscete, netantum bonorum vel voluptatibus elati in magnum malorum barathrum præter opinionem præcipientemur. Scipio inquit ap. LIV. l. 30. cap. 31. & humanæ infirmita-

firmitatis memini, & omnia quæcunq; agimus subiecta
esse mille casibus scio *Liv. l. 49. cap. 62.* prudentis hominis
& meritò felicitis est modum imponere rebus secundis
nec nimis credere serenitati præsentis Fortunæ.

VII. Prudentis est præsentia dirigere & expræte-
ritis futura prospicere.

VIII. Prudentis est simulare.

Queritur hic, an princeps teneatur simulandi artes callere?

*Resp. disting. Si Simulatio oriatur ex animo fallendi proximum
& quidem contra fidem datam, tunc minimè probanda est in
Principe ut Carol. IX. Rex Gallie Thu. l. 59. p. 989. contra fidelis-
simum Colinium. Si autem simulatio proficiscatur ex charitate
ad alendam aliorum pietatem & fidelitatem ut Christus Luc. 24.
v. 29. & ne aliis sua communicet consilia. Aff. Omnia enim sua con-
silia palam facere vitij est.*

IX. Prudentis est neq; nimis fidere neq; diffidere.

*Hinc absint suspiciones in Principe quæ sibi & fidelissimis mini-
stris perniciem asserunt: apud Comin. lib. 1. p. 14. Carolus Burgun-
dia Dux inquit: Nullo unquam tempore suspicionibus indulgi,
Principes inquit Comin. lib. 1. ob delatorum multitudinem impri-
mis suspicionibus indulgent, videatur idem lib. 2. p. 61.*

X. Prudentiæ est rationem potius sequi quam
Fortunam. *Ut Hannibal dicit apud Liv. lib. 30. cap. 30.*

XI. Prudentiæ adversatur nimia festinatio &
cunctatio.

*Re ipsa enim compertum est longe præstare salutarem mo-
ram perniciosæ festinationi, quam tum vis initio spe bona blandi-
enti, videatur Democriti Oratio apud Livium lib. 31. cap. 32. di-
centis: Rem, magni discriminis consiliis, nullam esse tam inimi-
cam quam celeritatem, celerem enim penitentiam, sed eandem
seram atq; inutilem sequi.*

Absit

*Absit & cunctatio quando oppressis succurrendum est. Veris-
simè scripsit Laconicus Chalcochondyles Lib. 10. de Byzantij ex-
cidio. Cunctationem ajo multis per orbem damnosam esse & nobis
Veneris plurimum damnum dedit, prodentibus Imperium, Græ-
cos & Græcorum Reges, quando Barbarus infestos parietes Con-
stantinopoli admovebat.*

XII. Objectum Prudentiæ sunt τὰ πρᾶκτὰ, omnia
quæ Principi ad agendum sunt necessaria, E. in specie
pauli sper acturi sumus, quomodo princeps in guber-
natione se gerere debeat.

XIII. 1. In Legatis mittendis, eligendi sunt ij qui
sunt viri Prudentes, in respondendo intrepidi, morum
Populi gnari; imprimis Pacis tractatio Prudentibus atq;
fidis hominibus est committenda, quos à Legatione re-
versos, separatim audiat Princeps. videatur Comin. lib.
1 pag. 45.

XIV. 2. Idem & in consultatione, prudentiæ au-
tem est ne aliorum repudiatis consiliis pro suo unius ar-
bitrio gerat omnia: quæ res in causa fuit ut tandem Ca-
rolus in vitæ discrimen adductus & occisus, gravissimū
vulnus Populo suo inflixerit, annotante Com. Lib. 1.
pag. 33. vi. idem Lib. 2. p. 68. item li. 3. p. 87.

XV. 3. Prudentis Principis est consilium ad tem-
pus accommodare: unum enim & idem consilium di-
verso tempore diversum sortitur eventum. Machiavell.
lib. 3. cap. 10.

XVI. 4. Indisciplina spectat ad principem, ut non
omnes abusus & vitia, quovis tempore, simul & semel
abroget, sed multa cedat tempori.

XVII. 5. In Bello Prudentiæ est Bellum in hostico
gerere. videatur Orat. Hannib. ap. Liv. lib. 34. cap. 59. lib.
35. cap. 18. Hostem convitiis non lacescere &c, Pru-

XVIII. Prudentiæ contrariatur simplicitas & ver-
suta quarum illa in Principe quatenus Rempubl. gerit,
hac deterior est videatur Com. Lib. 2. p.68.

Ubi duo recenset genera Principum, alij inquit sunt acuti
& suspiciosi; alij non quidem suspiciosi verum ingenio ita stupido
& ignavo, ut quid utile sit quid minus, nõ intelligant &c. & quan-
quam illaudatum est utrumq; genus, cum priori tamen illo ma-
lim mihi rem esse; cum altero nihil rectè perfereris.

XIX. Imperio dignus non videtur qui imperare
sibi non possit, ergo requiritur in Principe temperantia.

Voluptates, vigorem ingenij enervant, & est voluntaria
quedam insania; si hoc vitium invadat subditos effeminat eos, &
facit ut à Mascula virtute degenerent, imò certissimum signum
est futuræ ruinæ Justinus l. 1. annotat de Lydiis, cum hi incepi-
sent ludicras artes & Lenocinia exercere, gens industria,
quondam potens & manu strenua, effeminata mollicie luxuriaq;
virtutem pristinam perdidit, & quos ante Cyrum invictos bella
præstiterant, in otium delapsos otium & vitia superarunt, adeo ut
rectè pronunciaverit M. Anconius apud Liv. lib. 34. cap. 4. lib. 30.
c. 4. avaritia & luxuria sunt pestes quæ magna imperia ever-
terunt.

XX. Imprimis autem absit à Principe 1. Ebrietas.
Animus enim ebrietate devictus non est in sua potestate, in sicco
habitat Sapientie, Cælius inquit Libro 28. c. 31. p. 1099. Solon unus
è Septem Sapientibus morte Principem esse multandum si de-
prehenderetur ebrius, sanxit, quæ tamen Sanctio rigida est.

XXI. 2. Libido, quæ non modo subditos ad odium
verum ad contemptum excitat. cum intelligunt homi-
nem voluptatibus deditum impotentem animi esse, vi-
de Bodin. l. 4. p. 585.

Exempla possunt esse 1. Hieronymus Syracusanus Rex, qui
B cum

cum Luxu indulgeret, superbe & libidinoſe regnaret, à conjuratis
interfectus eſt Liv. l. 24. c. 5. 6. 7. & 2. Eduardus ap. Com. l. 10. p. 138.

XXII. Requiritur etiam in Principe moderatio
in corporis cultu vide. Gerhard. Tom 6. p. 799

Contra hanc virtutem peccavit Carolus apud Com. lib. 7.
p. 254. item Alexander hinc & milites indignati fuerunt molliciti
Alexandri, quod mores Perſarum aſſumeret, quos propter tales
mores vicerat Juſtinus l. 12. p. 223.

XXIII. Gravitas geſtuum, ſermonis, veſtitus, auto-
ritatem conciliat v. Keck. lib. 1. c. 3. p. 94. Huc referantur
recreationes quæ ſint honeſtæ.

XXIV. Magnanimitas caſus humanos contemne-
re docet, hujus Magnimitatis tria ſunt requiſita 1. Dere-
ſtationes vulgi ex alto deſpicere vid. Schönbor. l. 2. c. 25. de inimi-
co dices non nocuit mihi, ſed animum nocendi habuit. 2. Errata
gratiſe condonare, ſcivo enim magnum & honeſtum genus vin-
dictæ eſſe, ignoſcere.

3. Injurias acriter vindicare, nimia enim in diſſimilandis
injuriis patientia, novam ſolet invitare injuriam. Injuria con-
temptum parit, contemptus civilem tranquillitatem perturbat
vid. Richer. Axiom. Pol. 19. Machi. d. Republ. l. 2. c. 28.

Eſt in primis obſervandum in gubernatione reipub. ne inju-
riæ inferantur vel Publicæ vel Privatæ. Eſi quæ illatæ ſunt ne
impunitæ relinquuntur, aſſert 2. Exempla quæ omnes in univer-
ſum magiſtratus monere debent, ne ullas, relinquunt inultas inju-
rias quæ vel Publice vel privatim illatæ fuerint. Cõtrariatur huic
Puſillanimitas, exemplum hujus rei præbet Ludovicus Rex Gal-
liæ Com. Lib. 9. 10. p. 129.

XXV. Modestia fanè decet omnes omnium or-
dinum homines, in primis verò Principes viros, ut intel-
ligant & ſint memores in omni actione eſſe Deum, à
quo

quo proficiscuntur & emanant omnia dicente Com.
l. 1. p. 33.

Modestia est aliena non appetere Regna vel aliora, imprimis autem Principes cupidissimi sunt gloria, quae etiam causa fuit Carolo cur tam multa Bella suscepit v. Com. l. 7. p. 247. Quae susceptio ipsi mortem & regno interitum paravit, videatur Emilij Pauli admonitio apud Livium l. 44. c. 8. quae in secundis rebus nihil in quenquam superbè ac violenter consulere decere inquit, nec praesenti credere fortuna; cum quid vesper ferat, incertum sit. Is verò demùm vir erit cujus animum nec prospera statu suo offerret nec adversa infringeret. Talem modestiam commendat Justinus lib. 1. in Regibus prioribus, qui non imperium sibi, sed populis suis gloriam querebant, contentiq; Victoriâ, imperio abstinebant.

XXVI. Fortitudo docet Principem intrepidè adire pericula.

S. 1. Hujus Exemplum habemus in Carolo Burgundo, vid. Comin. lib. 1. p. 27. & 32. Erant in eo due res, maximè memorabiles, laborum patientiâ, & animi robur incredibile; vid. de eod. lib. 3. & 4. lib. 7. p. 247. Cominens inquit: ut sicuti prisca quidam Herois celebraretur, hoc spectabat, animi magnitudine & robore & audaciâ nulli cedebat,

Hannibalis fortitudo laudatur. ap. Liv. lib. 30. c. 32. Eumennis lib. 37. c. 53. Nemo, inquit, miles Romanus magis assiduius in castris fuit, quàm ego; nullum equestre praelium sine me factum est.

Philopemen septuaginta annos natus fortiter pugnavit. Idem Liv. lib. 39. c. 49. Camillus fugientem exercitum sustinuit lib. 6. c. 24. Conradi Regis Germanorum fortitudinem vid. apud Nicetam lib. 1. qui primus in fluxum fecit impetum, & victoriam gloriosissimè reportavit à Persis.

S. 2. Causa impulsiva est honestas: Pulcrum pro Patria

mori & succumbere in armis. Et Conradus, Rex prænominatus dicit: sin occubuerimus, honesta sepultura erit, ubicunq; pro Christo occubuerimus. Requiritur autem Princeps bellicosus, si Regnum bellis sit agendum. vid. Liv. lib. 24. c. 8. Quilibet nautarum vectorumq; tranquillo mari gubernare potest: ubi se va orta tempestas, ac turbato mari, rapitur vento navis, cum viro & gubernatore opus est.

§. 3. Contrariatur fortitudini i. audacia: hujus Exemplum in Sebastiano Rege Lusitania. v. in Thuan. lib. 67. p. 142. Andronicj apud Gregoram lib. 11 p. 597. Decij. apud Liv. lib. 8. c. 9.

2. Timiditas.

§. 4. Queritur hic, an deceat ipsum Principem esse belli Ducem & Resp. Si Summa necessitas id non efflagitet negamus vid. 2. Sam. 21. 15. & 2. Sam. 18. 3. Ob suspectam autem Ducum fidem, & alias necessitatis causas convenit ipsi: ac non imiceatur Carolum Burgundum, de quo Comin. lib. 1. p. 33. Carolus totum diem in campo commoratus, belli omnem laudem ad se pertinere putabat, sed ista gloria magno deinde constitit ei. Interfectus enim est, & gravissimum vulnus populo provinciisq; suis inflixit.

XXVII. De Oeconomicis Virtutibus hæc notentur.

1. Princeps sine Procerum consensu ob varia pericula majorum non contrahat.

2. Regiam sobolem, optimâ disciplina ad modestiam formet.

In semente enim spes tota messis posita est. Rectè enim Lips. in Epistolis inquit: Non facile facturus est messem, qui in juvenili vere negligit sementem, virtutis & doctrina. Mala quippe educatio est præcipua causa, quare Principes viriis sint dediti. Et rectè dicit Comin. lib. 1. p. 48. Indubitatum est eos, qui in ullare unquam excelluerunt mature puerilibus annis ad eam rem accessisse: totum hoc consistit primò in beneficio Dei, proximè in educatione, Exempla mala educationis v. apud Gregoram lib. 8.

apud

apud Thuanam lib. 57. ubi de Carolo IX. Rege Galliae notat: Princeps præclarè indole & magnis virtutibus præditus, nisi quatenus eas prava educatio & matris indulgentia corrumpit.

3. Aulam optimè constituat qualè describit David Psalmo 101. quem Psalmum (utinam) omnes Principes sibi commendatum habeant: opponit enim ibidem David aulam suam honestis viris constituendam, aula Saulis pessimè constituta.

De cæteris virtutibus, & inprimis erga subditos, in sequentibus aduri sumus.

XXVIII. Proprium Principis munus sit de quam plurimis benè mereri: neq; propter unius aut alterius improbitatem intermittendæ sunt benè de quam plurimis merendi occasiones. Com. lib. 2. p. 77.

Principes ad liberalitatem debet incitare 1. quòd propria dos sit Principis. 2. quòd à Spiritu S. insigniantur hoc titulo נְרִיבִים & ipse spiritus S. dicatur Spiritus liberalitatis. 3. Quòd homines maximè faciat Deo similes. 4. quòd liberalitate plus efficiatur quàm vi. Riche. Axiom. Polit. 416.

Hujus Exempla videantur 1. Antiochi ap. Liv. lib. 37. c. 37. idem lib. 37. c. 55. 56. 2. Philippi lib. 39. c. 28. 3. Ludovici ap. Com. lib. 6. p. 200. 4. Caroli, qui in morbo maximas facultates & opes donavit Ecclesiis, lib. 9. Com. p. 392. Dùm E. suppetit facultas & ocium, & quàm diu mentis atq; corporis sanitatem concedit Deus benefaciendum est Principi, inquit Comin. lib. 9. p. 303.

§ 2. Objectum liberalitatis non sit unus. Carolus multis cupiebat benefacere. Comin. lib. 7. p. 247. Et si uni saltè benefaciat, tunc ille amore imperandi summum honoris fastigium involat. Objectum E. adequatum est totus populus, inprimis pauperes. Populus à gravibus exactionibus liberandus est. Inprimis autem in objecto hujus observetur quòd habet Comin. lib. 2. p. 77. hoc suadeo, explorandum esse, cujusmodi sint, qui benefici. m. petunt nec

enim omnes digni sunt, qui accipiant. E. princeps parcus sit in distribuendis præmiis, morosus in quaerendis meritis. Hos autem in primis complectatur, à quibus in periculoso rerum statu non fuit desertus. Comin. lib. 1. p. 30.

§. 3. Princeps benefacere debet de bonis Regis; & largus sit in honoribus pro merito dandis, ut de Carolo notat Com. lib. 2. p. 52.

XXIX. Contrariatur huic Virtuti i. prodigalitas, quæ exhaurit ærarium & extremè contentum reddit Principem.

Magna autem est multorum Principum iniquitas inquit Comin. lib. 10. p. 303. qui pecuniam, pro sua libidine suis imperant, & p. 347. eos locupletant plerumq; qui nullum ipsis honestum exhibuerunt officium. p. 348. addit, nemo est omnium Principum, qui jus habeat vel teruncium unum exigendi à subditis, præter constitutum anuum censum, nisi populus assentiatur. Caveant E. sibi Principes ab illis immodicis exactionibus: defectus enim ut plurimum fieri solet. Hoc autem observent subditi, quod dum fumum tributi fugiant, temerè sæpè se in servitutis ignem præcipitent, quod de Gymnis annotat Nicet. lib. 2. p. 81.

XXX. 2 Avaritia, cujus Exemplum habemus apud Comin. lib. 9. p. 309.

Maximum autem damnum affert in Magistratibus inferioribus. Cujus prohibitio expressa & severa extat Exod. 23. v. 8. Non accipies munus, quod excæcat oculos mentis apertos: E. nullo prætextu munera sunt à Magistratu accipienda, qui hoc faciunt, peccant contra jus divinum:

XXXI. Justitia in primis distributiva Principem decet, quæ pro merito statuit suum cuiq; tribuere.

§. 1. Ut sine formâ homo nihil est, sic nec sine justitiâ Respub. esse potest, Ubi enim nullum discrimen honestorum & turpium, ibi nulla Politia esse potest.

§. 2. Ju-

S.2. *Iusti Principis interest æquissimas leges condere & quidem, ad vindictam nocentium, laudem verò rectè agentiam, ut Petrus inquit 1. Pet. 2. Nec respiciant personas, sed cuiusq; bonitatem attendant.*

S.3. *Iustus Princeps publicam salutem privatæ præferat, publicæ enim Salus nobis omnibus est suprema lex.*

S.4. *Ob justam causam bellum suscipere, ap. Liv. p. 750. Scipio inquit ut sciant omnes gentes populum Romanum & suscipere justè bella, & finire posses in eum enim, qui jure agere paratus est, bellum sumere nefas est.*

S.5. *Iusti Principis est, non esse judicem in propriâ suâ causâ.*

S.6. *Quicumq; potest iudicio fisci cum eo jure agere tenetur. v. g. Tyrannus sine Titulo. Justic. Exempl. Liv. l. 5. c. 27. Camilli.*

Contrariatur injusticia, quæ apud omnes odiosior, quàm ignavia. Justicia enim & injusticia ex sua seu spontanea voluntate fiunt. Ignavia vero & imprudentia videntur aliquid ex natura habere.

XXXII. *Justiciam sequitur Clementia, quæ justiciam & leges moderatur. Hæc à Keckermanno & aliis dividitur in Generalem & Specialem.*

S.1. *Generalis est benevolus affectus ergâ subditos, per quem facile ad misericordiam movetur, inde Pater Patriæ dicitur, ut omnes paterno animo ex æquo prosequatur.*

S.2. *In specie est virtus quâ Princeps moderatur rigorem summi juris pro certis quibusdam circumstantiis tum legis, tum & eorum, qui peccant sc. non ex reserçççç.*

S.3. *Huc referatur facultas Audientia. Exemplum præbet Comin. l. 7. pag. 247. Carolus ingenio erat satis placido, at postea crudelior evasit, quæ res indubitacè erat signum futuri casus. Imperator Joh. Commenus nec totius imperij tempore, vel vitâ privavit quemquam, vel quocunq; modo corpore multavit. in hunc usq; diem laudibus celebratur. Nicet. l. 2.*

Contr.

Concr. Crudelitas quæ fuit in Andronico, qui eum diem sibi perisse putabat, quo non aliquem jugulasset, excæcasset aut Tiranico vultu terrisset.

§. 4. Crudelitatem sequitur Metus. Propter ante actam inquit Comin. l. 10. p. 330. Crudelitatem, magnas habent metuendi causas, & ut multos metu excruciarunt, ad consimilem modum rursus affliguntur, quo in metu, inquit Com. l. 5. p. 327. quanta sit servitus, cum ad senectutem perveniunt, tunc demum aperte sentiunt, quia coguntur invicem plurimos formidare. Absit à Principe crudelissima pœnarum genera excogitare de Ludovico Comin. l. 10.

§. 5. Maxima crudelitas est, Antecessoris filios, vel fratres, vel cognatos è medio tollere. De Lanceloro Com. l. 10. p. 339. De Turcis annotat Chalcochond. l. 2. quod Rege imperio adepto fratres ejus laqueo profocentur. vid. Liv. l. 44. c. 1. l. 8. c. 7.

§. 6. Perniciosissima est, si fiat justitia prætextu. Nicet. l. 2. Tyr. Andronicus interfectos lachrymis prosecutus est, addens severitatem, legum & auctoritatem suâ voluntate plus valere. 2. Nimia indulgentia, quæ magis perniciosa est Reipubl. vide sis Bodinum.

XXXIII. Sine Pace Reipubl. florere potest, at non sine fide Publica.

§. 1. Fides est constantia in promissis servandis Ludov. ad Carol. l. 2. Com. Cum id genus hominibus, qui non discedunt à promissis, volo mihi commercium intercedere.

§. 2. Nota est illa controversia, cui Princeps sit obligatus ad fidem servandam. Omnibus, quibus est fides promissa, 1. Hosti Grot. l. 3. c. 19. 2. Latronibus rebellibus. 3. Hæretico vid. Gerhard. Tom. 6. p. 866. Perfidos graviter DEUS affligit. Fides amor Eduardi Regis Angl. vid. Com. l. 6. p. 199. Ludovici l. 2. p. 56.

§. 3. Contr. Perfidia, quæ evercit fundamenta Reipubl. Caroli Burgund. Com. l. 6. p. 212. Carol. IX. Regis Gallie perfidia in Col. Thuan. l.

Virtu-

XXXIV. Virtutes sequitur bona fama. Honoris & existimationis rationem habeat Princeps. *Com. l. 3. p. 108*

§. 1. Fama est constans aliorum de virtutibus vel viciis Principis opinio. Rectè Keckerm. l. 1. p. 61. Præceptum de bonâ Famâ boni consiliarij imprimis Principibus suis ab ineunte ætate inculcare debent.

§. 2. Acquiritur fama variis edendis virtutum speciminibus. 2. reverentiâ antecessorum Just. li. 3. vicinorum populorum & suorum salutē quærendo, & benevolentiam ex Ludov. Com. l. 9. p. 320.

§. 3. Famæ studium curæ cordis sit Principi, nam plus magnitudine & famâ nominis sui potest efficere, quam alij armis quod de Casare recenset Just. l. 42.

XXXV. Deinde brevissimi erimus, quomodò Princeps circa exteros sese gerere debeat. Exteri sunt vel subditi vel Principes. Subditis iniuste à Principibus, vel etiâ fæderatis, expulsis nobis vero non suspectis jure naturali hospitium negari non potest. rationes vid. ap. Tuan. l. 60. p. 48.

XXXVI. De Principibus exteris notetur. Cum vicinis Magistratibus Princeps concordiam alere studeat. 2. Fædera ineat. 3. Legatus ipsorum honorificè excipiat. Hæc annotat Gerhardus Tom. 6. p. 2. sect. 4.

Nam 1. arctissimum incolumitatis vinculum est Concordia, 2. Unita virtus fortior. 3. Jure gentium Legati sunt inviolabiles, & Tacit. lib. 1. p. 18. Rarum etiam inter hostes Legatum sanguine suo altaria commaculasse, illorum animos sibi conciliat. Nos brevissimè acturi sumus de Fæderibus.

XXXVII. Fædus Alsted. à fædè cadendo dictum esse existimat quia feriendo porcā dicebant. Ita fæde cadat qui fædus ruperit. In sancta Lingva כרייך dicitur à כרה quod est eligere, quia fiunt ex libera Electione, ubi utraq; pars eligit sibi id, quod rectum videtur.

C

Fædus

XXXVIII. Fædus hoc loco non pro amicitia quavis, accipitur quæ etiam fæderis nomine aliquandò insignitur, quia ut fædera sunt munimenta Reip. rectè inquit Salust. p. 66.

Non exercitus neq; thesauri præsidia regni sunt, sed amici, quos neq; armis cogere, neq; auro parare queas, officio & fide parantur: nec pro Sponsione nec pro societatibus sed pro tali fædere quod est iurum inter eos, quibus armorum est potestas. Ut Lucani apud Liv. lib. 8. c. 25.

XXXIX. Fædera sunt pacta quibus duo armorum jus habentes sese mutuo solenniter obligant ad amicitiam colendam fidem præstandam, auxilia mutua mittenda, hostes communes habendos.

XL. Causa efficiens ordinaria est Majestas.

Grotius lib. 2. c. 12. n. 25. annotat, in societate navali etiam privatum posse ferire fædera contra hostem privatum. Queritur hic, an subditi habeant jus fædera pangendi: Nos breviter respondemus quod subditi vel sint absolute tales, vel cum conditione, ubi mutua est obligatio: his licere æstimamus: cum ex conventionione habeant jus resistendi v.g. si Princeps in totum populum secedat, & quidem contra conscientium, 3. si non stet promissus.

XLI. Instrumentalis, sunt Legati & Fetiales. vid. Liv. lib. 9. c. 43. Adjuvans potest esse arbiter, quando bella inter eos fuerint agitata.

XLII. Sic Noster Imperator Romanus omnium diffidorum & Controversiarum orbis Christiani à Deo iudex & arbiter constitutus est & dicitur. Thuan. lib. 66. pag. 164.

XLIII. Materia seu subjectum est Magistratus, in primis injustè oppressus, non verò cum subditis absolutis: Vid. Thu. l. 37. p. 695. Rex quando cum subditis paciscitur quan-

5177

cum illis in eo eribuit, tantum de sua auctoritate detrahit eosq; ad factiones invitat. In primis fœdera pangenda esse censet Machiavell. lib. 1. c. 59. cum Rebuff. ob constantiam: Non sit impius aliàs querimus scium, cum quo cadamus nisi in communi caussa.

XLIV. Forma fœderum consistit in diversis fœderum articulis & conditionibus. vid. Etolorum cum Populo Rom. societatis conditiones: apud Liv. lib. 26. c. 24. in med. vid. lib. 1. c. 2. & c. 13. Sabinorum & Romanorum, & inpr. Liv. lib. 1. c. 24. Non est ullius vetustior fœderis, memoria &c. Iste vero non sine dedecorose & infames, ut 1. Sam. 11. Nabas Regis, Liv. lib. 9. c. 4. 5. 6. & Samnitum cum Romanis.

XLV. Ceremoniæ apud diversas gentes variæ fuerunt. In sacris fiebat per animalium divisionem: hinc & flamma Gen. 15. in solenni fœdere Abrahæ transibat per partes divisas, qu. Deus nollet esse Deus, nisi sanctè servaret hoc fœdus. Fusius existat Jerem. 34. v. 13. hinc & Matth. 24. v. 52. dissecabit Deus fœdum: nam dissecabantur apud Veteres corpora perfidorum, quæ fidem & pactum solvissent, Gellius lib. Noct. Att. 29. c. 1.

XLVI. Finalis causa sit justa, ob conscientiam propriam & militū, si armis teneatur fœderatum defendere. Causa autem in bello quò justior, eò & fortuna superior. Justin. lib. 19. Injusta causa est, si cum aliis fœdus inimus, ut vicinos bello funesto implicemus, & incendium in nostris edibus evitemus. Injusta, se ob nomen saltem magnum alicujus Principis cum eo fœdera ineamus. Sic cum Romanis multæ gentes remotissima fœdera inierunt, Samnites Liv. lib. 7. c. 19. Carthaginenses lib. 7. c. 27. Falisci lib. 7. c. 38. & alij lib. 9. c. 45. Antequam v. ad alia accedamus, quaestiones nonnullas præmittemus.

XLVII. Queritur 1. An fœdera pangere per se sit illicitum. N. nam 1. sui ipsius defensionem jus divinum & naturale exigat, 2. naturajubet, scriptura mandat injustè oppressis succurrere.

Nihil enim humanius est, quàm alterius infortunium suum ducere. Si E. fœdera pangere per se esset illicitum, utiq; omne: & non liceret oppressis succurrere, & eorum patrocinium suscipere: quod summa esset iniquitas. Si E. omnia media pacis sint tentata, tunc possumus cum oppressis fœdus inire & eos defendere. Per accidens autem sunt viriosæ, ista pactiones. v. Rechr. axiom. Polit. 277. non facile princeps debet contrahere fœdera, ut per fœdera particeps fiat alienorum peccatorum, atq; aded etiam alienarum pœnarum, Sin Principes propterea pangant fœdera, ut in istis spem suam ponant, tunc maledicta sunt ista fœdera, ita inquit scriptura: Maledictus omnis qui spem suam ponit in carne. Immo Idololatria &c. vid. Tarnov. & Scriptura, quæ eadem magis quàm Diabolum vitanda docet. Utinam igitur Patria nostra dilectissima Germania, spem suam non poneret in istis pactis, quasi exindè necessariò pax sequeretur. In silentio & spe erit salus nostra: Sin Deo unicè adhareremus, sanè Deus pacem clementer nobis condonaret.

XLVIII. Queritur an cum infidelibus fœdera ineunda sint?
 Resp. Quod ad fœdera juris naturalis atinet, nullum est dubium, Principi licere eiusmodi inire cum infidelibus: qualia fœdera sunt de Pace, ut sint libera commercia, ne terram sine ulla datâ causa hostiliter invadat. Præter ea autem alia sunt, quæ adjiciunt ali-
 quid, juri naturali, quando Principes sese solenniter obligant ad auxilia mutua præstando, ad amicitiam colendam, & ad communes hostes habendos. De his quæstio est. Nos negativam tuebimur, ob interdictum divinum Exod. 23. v. 32. 2. Chron. 16. 7. Experienciâ insuper sumus edocti, quod ejusmodi fœdera tristissimum sortita sint exitum. Ob fœdera talia populus Israeliticus in captivitate perpetuam est abductus, ex 3. Es. Oratione. Ob fœdera Paleologorum Constantinopolis Turcis prædecessit. In primis annotandum in libris Maccabaorum, quod fœdera Judeorum

cum

cum Romanis inita nunquam impunita sint relicta: sed post fœderum pactionem, maximam acceperint semper cladem. Nec est quod quis objiciat, sui defensionem esse licitam. Et, cujus finis sit bonus, id ipsum quoq; esse bonum. Ad hoc respondemus: si finis est bonus, res ipsa quoq; bona est, cæteris etiam bene se habentibus: medium enim sit honestum oportet & legitimum.

Sic nutrire suos, est finis bonus: verum illegitimum medium est furtum. Quod verò asserant, non univèrsalem quandam pravitatem esse, sed eam ex Circumstantiis esse æstimandam, quia populus Israeliticus valdè pronus fuit ad Idololatriam, 2. fiduciam habuit in hujusmodi fœderibus, & 3. habuit speciales promissiones, quibus nos destituimur. Resp. Non minora scelera patrari à Christianis, quàm Judæis. Quid etiam communitus est Principibus, quàm fiduciam collocare in istis fœderibus: 3. neq; nos destituimur promissionibus. Ut enim cujuslibet Regni ortus & interitus à Deo dependet, sic & conservatio. Per illum enim Reges regnant. Prov. 8. Dan. 4. 14. Lev. 26.

Modò Principes in solo Deo fiduciam firmam ponerent: qui illos dùm caput Imperij constituit, conservare etiam potest.

XLIX. Quæcunq; obligatio oritur ex Jure naturali, quàm quæ non inde emanat. Illa firmior est at oppressis succurrere est obligatio Juris naturalis. E.

L. Causa conservans est renovatio fœderum. vid. Liv. lib. 8. c. 11. lib. 11. Id. lib. 2. c. 33. fœderis conditiones cum Latinis æneæ statua insculpta fuerunt. Conservat etiã recta actio fœdera.

LI. Affectiones sunt æqualitas in sumptibus distribuendis, & præmiis ex victoria reportatis. 2. fides. 3. reciproca ad auxilium ferendum obligatio. Socij non sunt relinquendi; & si re illos juvare nequimus; spes pro re ostentanda est. Sæpè enim vana pro veris maximè in bello valuisse, censeo Caro ap. Liv. lib. 34. c. 12.

LII. Fædera & pacta semel inita firmiter & sanctè sunt custodienda: atq; fides data religiosè est servanda. Et si nullibi in toto orbe, tamen in Principis verbis fides invenienda est. Dicebat Carolus V.

Violatur autem his modis: I. Si cum hoste pacem faciamus. v. Liv. lib. 29. c. 12. & lib. 34. c. 32. inquit Quintius: due res maxime amicitiam violant: Primò, si socios meos pro hostibus habeas. Secundò, si cum hostibus te conjungas.

II. Si ob utilitatem, infaustum aliquem casum, metum, fraudulentiam alterius & astuciam, socios relinquamus. Rupi autem fæderis pœna sequitur ipsos perfidos & fædisfragos. Duo Exempli ex Scriptura S. producimus: (1.) Fædus à Josua cum Gibeonitis inicum violavit Saul, verum ipse & familia ejus, immò totus Populus Israeliticus gravissimè est afflictus. vid. 2. Sam. 21. 1. (2.) Tyrius gravissimà indicitur pœna. Amos, 1. v. 9. quod non recordati sint fæderis fratrum. Concludimus E. cum Bod. lib. 5. p. 933. qui dicunt Pontificem non modò seipsum, sed & alios jurisjurandi religione solvere posse, eos summâ impietate obligari judicamus.

LIII. Sequitur Terminus fæderis, de quo in specie nihil trademus, nec aliquid addemus de iis, quæ jam vident, Controversiis.

Fit solutio fæderis hisce modis: 1. tempore quod præfixum est elapso. 2. Morce fæderari, nisi fædus sit reale: 3. conditione eâ impletâ, ob quam fædus fuit inicum. 4. mutuo consensu, 5. Superioris jussu. 6. alterâ parte fædus violant. Nam nulla, frangentibus fidem, fides debetur dicit Bodinus lib. 6. p. 938. addit tamen hanc cautelam: non tamen si nova fædera, in dem quibus ante aut diversis legibus feriantur, perjuriam præteritâ repetere licet.

Ultimò Divisiones subjungimus ex Grotio de Jure P. & bel. lib. 2. cap. 15. Et præcipuè has.

Fædus

LIV. Fædus vel est Juris naturalis, n. 5. c. 15. Cognatio enim inter homines quædam est à natura, ac proinde nefas est, alterum ab altero lædi.

Sub hoc genere comprehendimus jus hospitij, jus commercij, jus pacis, vel Juri naturali aliquid adjiciunt. num. 6. v. gr. ut auxilia præstentur paria in bellica societate.

LV. Hoc vel est æquale vel inæquale.

Æquales sunt Conventiones, quæ utrinq; eodem modo se habent.

LVI. Inæquales, conventiones sunt, ubi inæqualis conditio fæderatorum.

Hujus exempla vide apud Liv. lib. 2. c. 22. & c. 41. lib. 9. c. 20. Ad Fædus inæquale pertinet & Patrocinium, quod est fædus inæquale, [Bod. lib. 1. c. 7. p. 107.] quo alter alterius majestatem observare tenetur, ut ab injuria potentiorum tutior esse possit. Requisite Patroni est, nihil præter dignitatis ac vere laudis jucundissimos fructus sperare.

LVII. Causæ Impulsivæ sunt 1. ipsa obligatio naturalis 2. gloria & honestas. Maxima enim comparatur, sicut oppressos liberemus. 3. Utilitas. 4. periculum. Ne confugere teneantur ad aliorum nobis suspectorum Patrocinium. De hoc Clientelari jure, quod est summum, nihil magis dicamus, quam cum non sit expertus periculi cliens, cum sæpe aurea libertate privetur; nec Patronus, cum variis periculis sese implicet, ut uterq; æquis conditionibus teneatur.

LVIII. Deinde Fædus aliud est Personale aliud Reale. Reale est, quod cum ipso Regno est initum, & factum est in bonum Regni & cum successoribus Regis. Personale, quod cum ipso Rege s. Principe solo est initum. Grotius lib. 2. c. 16. n. 16.

LIX. Fædus aliud est perpetuum, aliud certo tempore initum. Fædera autem perpetua sunt pernicioiosa: nam tales æque Conditiones non esse possunt, ut nulla pars gravetur secundum Bod. lib. 6. p. 115.

Et hæc protulisse sufficiat.

DEO SOLI GLORIA.

Nobilissimo Dn. Respondenti.

Sic Pietas Sangvenq; tibi, si pergis, ab arte
Surget, chare Tuis Nobilitatis Honor.
Sic surget, Virtusq;, tuo qua venit ab ortu,
Augebit proprium, quod venit arte, Decus.
Scilicet omen in est, magno dum Principe dignas
Virtutes magno publicus ore refers.
Ore refers, animoq;, tenes. Sic fiet, Amorem
Principis ut speres, & mercare coli.
Fiet, quas Charta jam nunc proponis, ut olim
Virtutes Animo Principis exhibeas.
Perge, precor, ne vana Tuos presagia fallant:
Absit ut e pulchris squilla sit orta Rosis.

tali augurio gratulatur

M. Philippus Hartmannus, Præses.

Quisquis in his studiis animo colit ipsa sopherum
Dicta, nec assiduo tantis sua dona cerebri
Rebus desistit mirâ efformare figurâ:
Is, mihi crede, foret magno reputandus honore.
Tu quoq; qui pectus distendis robore, amice,
Palladis, haud dubij tibi quin per magnus honoris
Exurgat cumulus, magnus virtutis acervus.

Ernestus Grantzovius NBrand. Megapol.

Ellogij puncto locuplete beabitur ille,
Qui Musas animo fervidiore colit.
Te colere has, animæ pars nostræ cara, decenter
Omnibus inculcat lux hodierna Satis:
Scandere qua cathedram non exhorrescis, & urbi
Demonstrare, tibi quale sit ingenium.
Gratulor hoc ausum: Quod si fortuna juvabit,
Quis non ellogio te locuplete beet?

f.

Henningus à Bassévitzten.

F I N I S.

LIV. Fædus vel est Juris naturalis, ratio enim inter homines quædam est à natio de nefas est, alterum ab altero lædi.

Sub hoc genere comprehendimus jus hostium, jus pacis, vel Furi naturæ aliquid adjiciunt. auxilia præstentur paria in bellica societate.

LV. Hoc vel est æquale vel inæquale.

Equales sunt Conventiones, quæ utrinque eodem modo sunt.

LVI. Inæquales, conventiones sunt, quæ in conditione fæderatorum.

Hujus exempla vide apud Liv. lib. 2. c. 22. Ad Fædus inæquale pertinet & Patrocinium æquale, [Bod. lib. 1. c. 7. p. 107.] quo alter alteri servare tenetur, ut ab injuria potentiorum tutus ac securus. Patroni est, nihil præter dignitatis & eundem fructus sperare.

LVII. Causæ Impulsivæ sunt 1. ipsa natura. 2. gloria & honestas. Maxima enim est, quæ oppreffos liberemus. 3. Utilitas. 4. periculum. fugere teneantur ad aliorum nobis suspectorum. De hoc Clientelari jure, quod est summum, nihil præterquam cum non sit ex periculo cliens, cum servare non possit, nec Patronus, cum variis periculis uterque æquis conditionibus teneatur.

LVIII. Deinde Fædus aliud est Perpetuum. Reale est, quod cum ipso Regno est initum, bonum Regni & cum successoribus Regis. Perpetuum ipso Rege s. Principe solo est initum. Grotius lib. 2. c. 12. Perpetuum est, quod cum ipso Regno est initum.

LIX. Fædus aliud est perpetuum, aliud certe non. Fædera autem perpetua sunt perniciosa: nam tales esse possunt, ut nulla pars graveatur secundum Bonum.

Et hæc protulisse sufficiat.
DEO SOLI GLORIA

